Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Cum ergo ingressus fuerit terram quam dominus deus tuus daturus est tibi possidendam et obtinueris eam atque habitaueris in illa tolles de cunctis frugibus tuis primicias et pones in cartallo pergesque ad locum quem dominus deus tuus elegerit ut ibi inuocetur nomen eius accedesque ad sacerdotem qui fuerit in diebus illis et dices ad eum profiteor tibi hodie coram domino deo tuo quod ingressus sum in terram pro qua iurauit patribus nostris ut daret eam nobis. Suscipiensque sacerdos cartallum de manu tua ponet ante altare domini dei tui et loquens in conspectu domini dei tui. Syrus persequebatur patrem meum qui descendit in egyptum et ibi peregrinatus est in paucissimo numero. Creuitque ingentem in gentem robustam et infinite multitudinis. Afflixerunt nos egyptii et pressuram nobis imposuerunt onera grauissima et clamauimus ad dominum deum patrum nostrorum qui exaudiuit nos et respexit humilitatem nostram et laborem atque angustias nostras et eduxit nos ex egypto in manu forti et brachio extento in ingenti pauore in signis atque prodigiis et introduxit ad locum istum et tradidit nobis terram lacte et melle manantem. Et idcirco nunc offero tibi primicias frugum terre quam dominus deus tuus dedit michi et dimittes eas in conspectu domini dei tui. Adorabisque dominum deo tuo. epulaberis in omnibus bonis tuis que dominus deus tuus dederit tibi et domui tue tu et leuites et aduena qui tecum est. Cum compleueris decimam cunctarum frugum tuarum anno decimarum et dabis leuite et aduene pupillo et uidue ut comedant intra portas tuas et saturentur. Loquensque in conspectu domini dei tui. Abstuli quod sanctificatum est de domo mea et dedi illud leuite et aduene pupillo et uidue sicut iussisti michi. Non preterii mandata tua et non sum oblitus imperii tui. Non comedi ex eis in luctu meo nec sepiui ea inquinabilem in immundicia nec ex funere dedi ex eis quidquam mortuo. Obediui uoci domini mei et feci omnia sicut precepisti michi. Respice de domo sanctuario tuo et de excelso celorum habitaculo et benedic populo tuo israel et terre quam dedisti nobis sicut iurasti patribus nostris lacte et melle manante hodie dominus deus tuus precepit tibi ut facias mandata hec atque iudicia et custodias et implea ex toto corde tuo et ex tota anima tua. Dominum elegisti hodie. Vt sit tibi deus et ambules in uiis eius et custodias ceremonias illius et mandata eius atque iudicia et obedias eius imperio. Et dominus elegit te hodie ut sis ei populus peculiaris sicut locutus est ut custodias omnia precepta eius et faciat te excelsiorem cunctis gentibus quas creauit in laudem et nomen et gloriam suam ut sis populus sanctus domino deo tuo sicut locutus est.

Explicit